J. DAN. AB HOVEN P.P. & O. EPISTOLA HISTORICO-CRITICA AD VIRUM AMPLISSIMUM ET CONSULTISSIMUM...

Johann Daniel : van Hoven

DAN. AB HOVEN
P. P. & O.

EPISTOLA HISTORICO-CRITICA,

AD

VIRUM AMPLISSIMUM

ET

CONSULTISSIMUM

GERH. MEERMANN,

J. 'tum, Florentissimæ Civitatis Roterodamensis Syndicum, & Polyhistorem eruditissimum;

DE

ætate, dignitate & patria M. MINUCII FELICIS; & de nativo ordine Apologiarum JUSTINI MARTYRIS; immixtis quamplurimis tum vindiciis, tum emendationibus MINUCII ET TER' JLLIANI.

EDITIO AUC IOR,

ADJECT S

FASTIS DIVORUM FRATRUM.

CAMPIS,

pud ÆGIDIUM VALKENI K.

A D. MDCCLXII.

J. M. Tindel.
Kirkforth.

VIRO AMPLISSIMO
ET
CONSULTISSIMO

GERHARDO MEERMANN,

FLORENTISSIMÆ CIVITATIS ROTERODAMENSIS
SYNDICO PRUDENTISSIMO, ET INTEGERRIMO;
POLYHISTORI ERUDITISSIMO, DE PUBLICA RE
ÆQUE AC LITTERARIA OPTIME MERITO
ET IN DIES PRÆCLARISSIME MERENTI;
AMICO RARISSIMO ET AD CINERES
PIE COLENDO S. P. D.

J. D. AB HOVEN.

CUm inter tot tantasque calamitates, quibus me belli fortuna præter spem, quasi fulmine ictum prostravit, Litterarum tum sacrarum, tum profanarum suavitates mihi unico solatio & perfugio sint: nullum equidem illustrius, gratiusque a TE, VIR AMPLISSIME! in me beneficium conficisci potuit, quam quod principem Minucii nostri editionem, quam SABÆUS A. D. MDXLIII. Romæ cum Arnobio in folio (uti ajunt) curavit, quaque ANTONIUS CARPENTARIUS, Medicus Parisinus, olim usus est, pro summa tua erga bonas litteras gratia ex augustissimo tuo librorum penu non tantum mecum communicare, sed etiam κτήσει liberalissime concedere voluisti. Tantum, & tam opportunum beneficium, si tacitus præterirem, omnino impius essem. Nihil itaque prius, antiquius nihil habui, quam ut qualecunque grati animi testimonium quamprimum exstaret, & tam eximii muneris fructus per TE ad Minucium ex eo rediret. Recipe ergo, amplissime Mecænas! quem tristes hac tempestate Camœnæ nostræ unice respiciunt; recipe, inquam, serena fronte, quæ tuo præsidio parata sunt,

eaque tua potius, quam mea crede. Sic facile veniam audaciæ me impetraturum ſpero, quod tantillum in tua tempora, publicæ ſaluti ſacra, peccem, & a tua humanitate, qua decet obſervantia, petere & ſperare auſim, ut, quæ Te auſpice a me ſuſcepta & inſtituta ſunt, recognoſcas, probes, rejiciasve. Cum itaque, Tute, Muſarum Ocelle! optime ſcias, omnibus, qui ſe ad interpretationem auctoris accingunt, ante omnia ſedulo eſſe cogitandum, inquirendumque, qui ſit, unde ſit, & quando vixerit ille, cui medicas manus adferre cupiunt: prima etiam noſtra cura fuit, ut in ætatem Minucii noſtri indagarem, & paulo curatius, quam adhuc factum eſt, eandem conſtituerem. Hac etenim temporis facula multum non ſolum lucis ſcriptis affunditur, locisque vexatis promta medicina haud raro paratur: ſed etiam nebulæ, quæ haud raro hiſtoriis & ritibus e ſilentio ſcriptoris a ſummis etiam Viris obducuntur, facile feliciterque diſpelluntur. Ecquis ex. gr. neſcit, quam importune multi ſilentium ATHENAGORÆ & MINUCII noſtri urgeant, ut fidem TERTULLIANO, de Germanica ſiti, Chriſtianorum forte militum precationibus, impetrato imbre, diſcuſſam, referenti derogarent. Quam vero fruſtra ſint, adeo invicte in diſquiſitione Critica de vera ætate πρεσβειας Athenagoræ probatum dedimus, ut ſummus MOSHEIMIUS in noviſſima Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ editione, quæ olim ſcripſerat, delenda cenſuerit. Idem nunc de Minucio è Minucio elicere, & hunc Athenagoræ æqualem fuiſſe, eidemque princip. inter Latinos Scriptores Chriſtianos locum vindicare animus eſt.

Ante omnia vero nitidiſſima illa ſtili Minuciani elegantia, quam elegantiſſimus BROUKHUSIUS in terſiſſimis ad Propertium ſcholiis miris celebrat, cumulatque laudibus, (*) nos invitat & pronos

(*) Nunc enim *nitidiſſimæ facundiæ ſcriptor* p. 18. nunc *mundiſſimus*, p. 230. mox *candidiſſimus*, p. 266. tum *caſtiſſimus*, *diſertiſſimus*, *caſtigatiſſimus ſcriptor*, immo *ſuada Chriſtiana*, p. 307. 313. 401. & 410. ab illo æquiſſimo ingeniorum cenſore laudatur. Adde quæ p. 417. 414. & 472. idem de eodem dixit. Cui præivit Vir ſummus, & ſui ſæculi decus, J. FR. GRONOVIUS in Obſ. Eccl. c. VII. p. 71. *Minucius Felix*, ait, *dialogum contra paganos ſcripſit, lactea ſermonis ubertate Lactantio nihil cedentem*, *mirabili*

pronos ad credendum reddit, illum omnino sub Antoninis, adeoque extremis argenteæ ætatis annis floruisse. Adeo enim omnes tertii sæculi scriptores puritate & venustate post se reliquit, ut ne verbulum ei exciderit, quod Ciceronis, aut Quinctiliani, Plinii, & æqualium auctoritate tueri nequeat.

Quando etiam Cæcilii calumnias & Octavii castigationes earundem paullo penitius inspiciamus, & cum Tertulliani, Cypriani, & Arnobii scriptis curatius componamus: facile patebit, diversam plane ætatem & aliam Ecclesiæ Christianæ faciem utrosque loqui; nostrum vero amice cum Athenagora, Justino Martyre, Tatiano & Irenæo conspirare. Nam Cæcilii & Minucii ætate Christiani adhuc *latebrosa & lucifugax natio*, *& de ultima fece profanæ conjurationis plebs videbatur*, cuius *sacraria vix dum per orbem adolescebant*: (*) at Tertulliani *avo jam omnia impleverant*, *urbes insulas*, *castella*, *municipia*, *conciliabula*, *castra ipsa*, *Tribus*, *Decurias*, *Palatium*, *Senatum*, *Forum &c.* Apol. c. XXXVII. Hinc *Romani* (non Carthaginienses tantum) *obsessam vociferabantur civitatem*, *& omnem sexum*, *ætatem*, *conditionem*, *etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen*, *quasi detrimento mœrebantur*. Ibid c. I. & ad Nat. L. I. c. 1.

Antea Christianæ quidem caussæ patroni lætam, latamque Euangelii propagationem per omnes orbis partes in rem suam evehebant, & caussæ forte nonnihil indulgebant: (**) nullus tamen ante

A 2 Ter-

mirabili ubique perspicuitate, etiam in argute dictis; nihil argutiarum obscuritate molestum; nihil intempestiva eruditionis ostentatione insolens & arcessitum &c.

(*) Ita Cæcilius apud MINUCIUM c. IX. §. 1. cuius posteriora verba cave cum HEUMANNO sollicites, qui pro *Sacraria* substituere *sacra* ex perversa hypothesi jubet. Quin potius ex his discamus, quod Hadriani & Antonini temporibus ædes sacras, licet privatas, Christiani habere & exstruere cœperint, ut pluribus docui in Antiq. Euangl. c. III. §. 24. p. 133.

(**) Ut IRENÆUS, JUSTINUS, M. CLEMENS Alex aliique, qui nimio forte imitationis studio plus sibi indulgebant, quam in vero erat. Conferantur cum horum testimoniis, ab aliis jam plus simplici vice laudatis, quæque repetere nihil attinet; CICERO de Leg. L. I. c. 8. & SENECA Epist. CXVII. Attamen in eo valde dissentiunt, quod illi quidem semen Euangelii per orbem sparsum fateantur, & radices etiam egisse: at TERTUL-

Tertullianum tantam Christianorum VIM celebrare ausus est, ut pene omnium civitatum, pene omnes cives, omnis conditionis & dignitatis Christianos esse, jactare nullus dubitaret; l. c. & ad Scapulam cap. ult. adde EUSEB. Lib. V. H. E. c. 21. Quam parce e contrario, quam caute, modesteque de suis Octavius c. XXXI. *Et quod in dies nostri numero augentur: non est crimen erroris, sed testimonium laudis.* Et c. XXXIII. *Nec nobis de nostra frequentia blandimur, multi nobis* (f. vobis) *videmur: sed Deo admodum pauci sumus.* Si equidem tertio sæculo floruisset, haud paullo confidentius & liberius de suis locutus fuisset: at nunc Athenagoræ, Irenæi, Justini M. verecundiam imitatur; & Cæcilius, plane uti PLINIUS ad Trajanum: *contagionem huius superstitionis non tantum civitates, sed vicos etiam & agros pervagatam esse*, & *stato*, sive solemni, *die ad epulas cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines & omnis ætatis coire*, scribunt. (*) Templa vero, altaria & sacerdotia plane nesciunt, quorum frequens apud Tertullianum & Cyprianum est mentio. Nam licet non nunquam, plane ut sequiores Arnobius, Lactantius, aliique negent, Christianos templa habere: attamen de tectis, limine, aris, & ministris ædium sacrarum, omnique apparatu sacro ita loquuntur, ut satis pateat, quam longe lateque a simplicitate ævi Minuciani, quando sacerdotum *honores* æque, ac *templorum* apparatum adhuc *despiciebant & despuebant*, jamjam recesserint.

Mu-

TULLIANUS, *omnia implevisse* refert, *ut si in aliquem orbis sinum sese abrupissent, non solum dominationem Romanorum pudore suffudissent, sed etiam destitutione sola punivissent.* Apol. c. XXXVII. Hæc ne latebrosa & lucifugax natio?

(*) De Stato illo & solemni die, (de quo in Programmate sæculari ad Plinii Epist. 97. L. X. quod lividissima inscitissimi hominis invidia suppressit, ne actis Sæcularibus Academiæ Duisburgensis insereretur, alius vero nuper compilavit, fusius diximus,) vel nulla, vel subobscura sæculo III. amplius fit mentio, quia plurium sequiorum festorum celebritas, eundem jam obscuraverat. Nomen tamen retinuit & κατ᾽ ἐξοχὴν dictus est DIES DOMINI, teste TERTULLIANO de Idolol. c. XIV. p. m. 113. & SABBATUM MAGNUM apud EUSEB. L. IV. H. E. c. 15. quo haud parum nostra sententia de stato illo die apud Plinium juvatur. Addatur Diss. pl. vener. HEUMANNI *de contentione inter Romam & Asiam de vero Paschate*, in Sylloge nova p. 156. & seq.

Multo præterea lætior etiam, puriorque fuit ſtatus Eccleſiæ interior tempore Minucii & Athenagoræ, quando nondum longæ pacis malis corrupti, nec in ſchismata diſtracti, *odiſſe non noverant: ſed omnino, ut unius Dei parentis fratres & ſpei cohæredes, ſe mutuo amore diligebant.* En aureum illud Eccleſiæ ſæculum, quod equidem mallem, ſævientibus licet inferni furiis, quam aurea templa, organa, vaſa, ſacerdotia, amore vacua! Audiamus de eodem Minucii æquales, eique conſentientes; ATHENAGORAS §. 2. *quod*, ait, *ſi quis vel parvi, vel magni alicuius criminis nos convicerit, non deprecamur ſupplicium, ſed vel crudeliſſimum illud tolerare parati ſumus.* ——— *Nam quæ de nobis ſparguntur, promiscue & incerta fama commenta ſunt, (*) neque Chriſtianorum quisquam ullius criminis convictus eſt. Sin forte*, inquit JUSTINUS M. Apol. II. p. 56. *nonnulli comprehenſi malefici, & criminis convicti fuerint*, hos *Chriſtianos tantum vocari, non eſſe.* Hoc ſcilicet Marcionis potius, quam Chriſti diſcipulos cenſendos & poniendos eſſe urget p. m. 63. 64. & 70. edit. Korth. Idne vero de ſui ſæculi Chriſtianis amplius prædicare auſi ſunt Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, aliique tertii ſcriptores; ſaverint licet ſuis adverſus Romanos omnibus ſceleribus inquinatos: attamen eos *odiſſe nondum noviſſe*, quis hoc ſæculo III. dicere? quis tantam innocentiam, & illibatam integritatem in tanto populo jactare auſus fuit? in quo jam faſtus, avaritia, & invidia tantas ſtrages dederat, ut Montaniſtæ, Novatianique ob corruptiſſimos mores, diverſo errore abrepti, ſecedendum putaverint.

Hinc etiam longe major calumniarum ſeges Tertulliani ævo ſubnata, quam vel Minucio, vel Athenagoræ innotuerant, qui omnes Ethnicorum calumnias ad has tres revocant, *impietatem erga Deos*,

 Thye-

(*) Scripſit ergo ante *domeſtica illa indicia*, de quibus EUSEBIUS L. V. c. 1. & Tertullianus infra. Hinc ſecundo adhuc ſæculo inter characteriſtica Eccleſiæ veræ ſigna amor & vitæ ſanctitas recenſebantur, de quo charactere ſequentibus ſæculis altum, eheu! ſilentium eſt. Huius vero locum κακοζηλια humana, mox ſcholaſticum acumen & ſteriles formulæ, quaſi tabes quædam occupavit. Conf. Antiq. Euangl. c. I. §. I. not. c. & c. IV. §. I. p. 150.

Thyesteas epulas, *& libidinem promiscuam* : (*) ast de Deo ὀνοκοίτῃ, de odio generis humani, de religione Christiana omnium per orbem calamitatum caussa &c. altum apud hos est silentium, quæ utique Minucius noster, si post Tertullianum scripsisset, haud plane tacitus prætermisisset, sed hæc ut veritati obstrepentia vel levi digito tetigisset. Negat e contrario in fine dialogi *talia amplius subsidere*, & tantum *quædam perfectæ institutioni necessaria reliqua esse*, *quæ crastino die requirerent*. Certissimo, ni fallor, indicio, alia præter hæc tria Minucium plane nescivisse; nec nostrum, ut vulgo volunt, e Tertulliano, sed hunc e nostro profecisse; & quæ hic leviter pro illorum temporum conditione perstrinxerat: illum latius disputasse & novarum calumniarum refutatione ampliasse. Hoc etiam novum, amplius & illustrius Tertulliani opus ita procul dubio famam nostri obscuravit, ut dein e memoria hominum fere exierit, eiusque libellus, ut levis appendicula, Arnobio adjectus sit.

Eccur vero non æque Minucio uteretur Septimius, ac Justino, cuius Apologiam verbis Minucii fere totam latinam fecit; plane ut Minucius Athenagoræ πρεσβείαν? Recte e contrario, ni fallor, ex convenientia & similitudine horum trium Scriptorum, Justini, Athenagoræ, & Minucii, tum ratione methodi, tum ratione argumentorum, tum ratione calumniarum, quæ impugnant, conficitur, hos tres circa eadem fere tempora & vixisse, & scripsisse; atque ex his tribus potius profecisse Tertullianum, quam ullus horum trium e Tertulliano, qui plura, illis ignota, & nuper conficta convicia, longe pluribus, diversisque rationibus retudit.

Nec incommodum, aut ingratum forte Tibi, Mecænas amplissime, erit, paucis ὡς ἐν παρόδῳ adnotasse, male a summis Viris ordinem Apologiarum JUSTINI MARTYRIS inverti, & secundam, quam integram fere habemus, primam dici, quæ tamen posterior & Marco atque Lucio exhibita est, licet inscriptio Pium mentiatur. Nam I. posterior hæc apologia his tribus Pio, Marco, & Lucio quidem inscripta fertur, sed Pius solus fuit, diciturque Σεβαστός. In ipsa vero Apologia ubique Justinus plures

&

(*) ATHENAGORAS c. IV. MINUCIUS c. XXVIII. §. 6.

& æquales alloquitur Imperatores, plane ut Athenagoras. Ast sub Pio non solum Imperator & Cæsares dignitate & potestate longe diversi, sed Cæsares quoque Marcus & Lucius omnino inæquales fuere, Luciique fere nulla ratio habita est, uti vel ex prima Apologiæ fragmento patet. Ibi enim p. 43. legimus: Ου πρεποντα ευσεβει αυτοκρατορι, ουδε φιλοσοφω και καισαρος παιδι, ουδε ιερα συγκλητω, κρινεις; (*) *Non ut Pium imperatorem, non ut Philosophum & Cæsaris filium, neque ut Sacrum Senatum decet, judicas.* Ex quibus, ut opinor, invicte patet, hæc & acta & scripta esse imperante Pio Augusto & Marco Cæsare, Philosopho, quando vel nulla, vel perexigua spes imperii Lucio reliqua erat, ut pluribus docui in *disquis. Critica de inscriptione & vera ætate* πρεσβειας *Athenagoræ* §. XVIII. p. 26.

In secunda vero Apologia ad plures, plane æquales tum Imperio, tum eruditione, statim initio in hunc modum loquitur: Υμεις μεν ουν οτι λεγεσθε ευσεβεις, και φιλοσοφοι, και φυλακες δικαιοσυνης, και ερασται παιδειας, & p. m. 59 αλλ' ουχ υμας, οι γε ευσεβειας και φιλοσοφιας ορεγεσθε, αλογον τι πραξαι υπειληφαμεν; atque ita passim; quibus elogiis Marcum & Lucium ab Athenagora ornari, jam occupavimus in laud. disquis. §. IX. p. 13. & §. XIII. p. 18. Marcum vero Pii etiam cognomen cumprimis adamasse & eodem ornatum esse, Lucium vero εραστην παιδειας πασης fuisse, adeo tralatitium est, ut exempla adjicere pudeat.

Hos porro in sequentibus Justinus passim ex æquo βασιλεας, & αρχοντας & κριτας, salutat. p. 61. 64. nec ullum usquam discrimen ibidem inter eos apparet, quod tamen maximum fuit, quamdiu Pius vixit. Quapropter, si quis tantisper inscriptionem seponat, usque dum totam legerit, apologiam: nullus amplius dubitabit, quin ad æquales plane, ad minimum duos, hæc posterior scripta sit. Imperatorem vero a Græcis satis mature βασιλεα esse dictum, Te, harum rerum peritissimum, fugere nequit. Cum itaque in prima unius tantum Imperatoris mentio injiciatur: in hac vero ad plures tum dignitate, tum eruditione æquales sine ullo usquam discri-

(*) Ita in Cod. Maz. invenit Vales. ad EUSEB. IV. H. E. c. 17. Et facile Valesii conjectura, caremus.

diſcrimine loquatur ; & argumenta interna jure merito palmam externis præripiant : nullum apud me reſtat dubium, quin inſcriptio ſatis mature corrupta, vel loco mota ſit. Præterea II. cum etiam EUSEBIUS L. IV. H. E. c. 16. & 18. HIERONYMUS in Catalogo & PHOCIUS in Bibliotheca Cod. CXXV. fateantur harum Apologiarum alteram Pii ſucceſſoribus, Marco & Lucio, exhibitam eſſe, quorum alter, ut φιλοσοφος, alter ut εραςης παιδειας & hic, & paſſim laudantur: luce clarius mihi apparere videtur, hanc omnino illam eſſe, quam Juſtinus paullo ante Lucii mortem ſcripſit; quaque, mortuo mox Lucio, & ſolo Marco imperante, Martyrium ſuum marturavit. Hinc eſt, quod Acta Martyrii Juſtini de uno Imperatore loquantur, nec eſt, quod Viri doctiſſimi, & hos inter cumprimis BASNAGIUS ad A. Chr. CLXIV. vel ob hanc præcipue cauſſam hæc acta νοθειας arguere, vel mortem Juſtini ad Pii tempora revocare maluerint. Æque fruſtra etiam ſunt, qui in rem ſuam ad Euſebium provocant, eumque poſteriorem illam primam, & primam alteram appellaſſe, & hanc poſteriorem, quæ vero vere prima eſt, Pio exhibitam eſſe contendunt. (*) Quod ſi ita eſſet, non ſolum Euſebius ſibi parum conſtare; ſed & aperte Juſtino contradicere dicendus eſt. Nam idem Euſebius non ſemel, ſed iterum, iterumque, quæ inter vulgo editas prima eſt, etiam primam appellat, & ex ea verba quædam profert, ut &, quæ in editis poſterior eſt, ſecundam vocat Lib. IV. c. 11. 12. 16. & 17. ut jam præclare obſervarunt Valeſius & Oudinus l. l. Hæc vero inconſtantia & oſcitantia cum Euſebio tribuenda non ſit, ſed librariis, immo & interpretibus, queis inſcriptio impoſuit, neceſſe erit, ut manus ei medicas ita adhibeamus, ut ſibi, & Juſtino, quem in manibus habebat, ubique reſpondeat. Cum itaque in fine cap. XI. aperte ſatis de ea loquatur, quæ vulgo primo loco ponitur, & cap. XII. ex inſcriptione doceat, qui, qualiſque fuerit Juſtinus: admodum probabile nobis ſit, hanc etiam prioris veram eſſe inſcriptionem,

quæ

(*) Videatur, poſt Baronium, Bellarminum, Petavium, VALESIUS ad Euſeb. L. IV. c. 16. CAVEUS in Hiſt. Litter. T. I. p. m. 62. & OUDINUS T. I. col. 190. & ſeq.

quæ dein; postquam illa prior apologia maxima ex parte periit, vel ex ipso Eusebio posteriori Apologiæ præfixa & assuta videtur. Hinc illæ turbæ! De altera vero Apologia EUSEBIUS disserit c. XVI, initio, licet e prima verba quædam, & Martyrii Justini caussam ibidem inspergat; id quod Viros doctissimos præcipites dedit, ut crederent, eum de una tantum eademque ibidem Apologia loqui, quod secus est. Initio scilicet huius capitis tantum refert, Justinum, postquam alteram exhibuerat Apologiam, Martyrio coronatum esse, qua occasione, in transitu quasi, dein commemorat, Justinum hæc sibi eventura esse, jam antea ut vatem in prima Apologia significasse. Præterea ex eadem etiam Apologia prima c. XVII. illius ævi martyres recenset, ex quo iterum nimis temere V. V. D. D. confecere, quod illa in secunda, cuius initio C. mentionem injecerat, legantur Apologia, cum revera in prima exstent, & inde *ως εν παρoδω* repetita sint. His vero è prima delibatis, jam cap. XVIII. ad scripta Justini redit, eaque ordine recenset, in hunc modum: *Primum*, ait, *locum inter eius libros obtinet Oratio ad Antoninum, cognomento Pium, & ad eius Liberos, Senatumque Romanum pro religione nostra conscripta.* Quid clarius, quid magis perspicuum dici potuit, quam, quod illa, quam supra toties primam dixerat, Antonino Pio, Liberisque eius & Senatui R. inscripta sit? & quod hæc illa ipsa sit, è qua supra allata fragmenta de Crescentio & Martyribus hauserat? Pessime ergo VALESIUS in sua horum fragmentorum versione apud Eusebium mentionem *Imperatorum* injecit, quorum nec apud Justinum, nec apud Eusebium ibidem vestigium occurrit. Nonnunquam tamen plures Justinus etiam in hac prima indefinite alloquitur, quia non cum solo Imperatore & Cæsare ei res erat, sed etiam cum Senatu Romano. De secunda vero Apologia EUSEBIUS in hunc modum pergit: *Altera vero eiusdem oratio defensionem similiter fidei nostræ continens, Antonino Vero, Imperatoris supra dicti successori & cognomini* (itidem Pio dicto) *nuncupata est*, *cuius tempora inpræsentiarum exponimus.* Quid iterum evidentius, & vel luce clarius, quam quod secunda illa non Tito Antonino Pio, sed Marco, itidem Pio dicto, huiusque fratri Lucio, ut supra c. XVI. jam jecerat, post Pii obitum

exhibita

exhibita sit: sed ex qua nihil, quod dolendum, adfert? Utinam ille potius lacunam satis magnam post verba, quæ in Coloniensi, ut dicitur, editione p. 57. B. leguntur: ταυτα εστ: nobi supplevisset, ubi communis fidei confessio, & compendium, omnium antiquissimum, dubio procul olim sequebatur, cuius ultimus articulus, more antiquo, extremum judicium profitebatur; & hinc pergit: *Plato vero Rhatamandum & Minôem itidem injustos ad se venientes plexurum esse docuit*; quæ cum antecedentibus minime cohærent. Qui ergo hanc posteriorem ad nos integram plane pervenisse volunt: haud parum falluntur. Habes, amplissime Mecænas! mentem meam de illustri hac caussa, varie adhucdum inter Viros totius Europæ doctissimos agitata, nec dum in liquidum deducta. Num ergo inter tot Scriptorum Ecclesiasticorum censores ego tandem venerem jecerim: Tuum valeat arbitrium, Tuoque limatissimo judicio stet, cadatve conjectura nostra.

Nunc ad Minucium redeamus; Licet enim nullum TE, VIR optime! amplius negaturum putem, Minucio nostro principem inter Latinos Ecclesiæ Christianæ Scriptores, qui adhuc exstant, locum deberi, & in eum, quo ipsum immerito alii fraudarunt, postliminio quasi restituendum esse. Restant nihilominus adhuc alia & graviora, quæ invicte, ni fallor, probabunt, Minucium Athenagoræ æqualem fuisse, & dudum ante Tertullianum & sæculi III. initium floruisse. Hæc inter familiam ducit, quod uterque negent, quamvis *Romanorum plurimi servos & Christianorum*, & Christianos *possederint, quos ea, quæ faciebant Christiani, nec latere potuerit, nec tacere licuerit*: quenquam tamen adhuc exstitisse, qui tam impudenter mendax fuerit, *ut illa*, quæ calumniabantur, *se unquam vel vidisse, vel egisse proderet, licet non tantum facti veniam, verum etiam maximam indicii gratiam consequi potuerit.* Videatur MINUCIUS c. XXVIII. & ATHENOGORAS c. XXX. Nulla itaque de domesticis, eorumque perfidia & proditione querela increbuit, quin potius innocentiæ Christianæ adhuc testes fuere, ut fatetur PLINIUS: at TERTULLIANUS & fatetur *domestica indicia*, & graviter de eo conqueritur, quod nimium hisce mendaciis, sine ullo examine, tribuant, nec *qualitatem*

facti,

facti, numerum, locum, modum, tempus, conscios, socios exigant. (*) Apol. c. I. & II. Hinc etiam idem *ad Nationes* L. I. c. VII. non solum proditiones domesticorum frequentes, sed etiam unius cuiusdam delatoris præcipui perfidiam atro carbone notavit, & levitatem Romanorum graviter perstrinxit. Sed ipsum audiamus, ut simul non uno in loco emendemus. Ita vero ille: *Si quem tamen apud vos prudentia locum iniquitas reliquisset, ad explorandam famæ fidem: utique justitia poscebat dispicere, a quibus potuisset fama in vulgus, & ita in orbem dari? Ab ipsis Christianis? Non opinor; (**)*

(*) Ita enim cum PAMEL. legimus, licet alii, nec contemnendi commentatores pro *indicia*, judicia, & loco *conscios*, consocios, invita, ni fallor, Minerva substituerint. Nam qui potuere domestica judicia *viam obstruere defensioni*? Num ergo domesticis illis judiciis crimina quædam apparuere & probata sunt, ut amplius non audiendi fuerint Christiani? An decreta domestica fuere norma judiciorum publicorum, ut alii amplius, qui domestici non erant, sed cives & patres familias, plane non audiendi fuerint? Nullane ergo contra præjudicia domestica civi Romano restabant remedia? Eane fuit ratio judiciorum Romanorum? Non equidem puto! sed uti inter Criticos tralatitium est, has voces *indicia* & *judicia* a librariis haud raro permutatas esse: sic vicissim ex historia notissimum, extremis Marci Antonini demum temporibus domesticorum indiciis, vel potius calumniis, Christianos esse vexatos, quibus sine ulteriori inquisitione facile fidem adhibuere Romani, & Christianos, ut criminis per testes convictos, amplius audiendos non putarunt. Hanc iniquitatem incusat & arguit Tertullianus suis in libellis, tum ad Nationes, tum in Apologia, urgetque, more legitimorum judiciorum, & *socios* & *conscios* esse exigendos. Qui vero *consocios, socios*, cum HAVERCAMP. aut *conscios socios* cum JUNIO legunt, usum substantivi *conscius* forte ignorarunt, de quo consuli meretur D. MENCKE, in Misc. Lips. novis T. V. p. 737. & 738. quem novissimum Minucii editorem non evolvisse miror. Adde CICERONEM IV. in Verr. c. 64. *Ipsi illi tui convivæ, consiliarii, conscii, socii.* & L. 19. tit. 8. L. XVI. C. Theod. *Auctores facti cum consciis.* Valde ergo miror, summos etiam Viros, TORRENT. & CASAUBON. ad Suetonii Domit. c. 10. p. m. 682. hanc vocem offendisse; & haud cunctanter apud MINUCIUM c. I. §. 3. lego: *Hic solus in amoribus* (vel ut Amicus ampl. *moribus*) *conscius: ipse socius in erroribus &c.* Raram LINDNERI distinctionem & paraphrasin si inspicias, nobiscum Te miraturum, sat scio.

(**) Ita hunc locum æque, ac illum in Apol. c. VII. distinguendum puto, ne acumen pereat: *Immo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis? Non utique. Enim* posuit pro *scilicet*, ut passim.

cum vel ex forma ac lege omnium myſteriorum ſilentii fides debeatur ; quanto magis talium , quæ prodita non (*) *juvarent interim , humana averſione , præſentaneum ſupplicium. Si ergo non ipſi proditores ſui : ſequitur ut extranei ? Oro vos , extraneis unde notitia , cum enim juſta & licita myſteria omnem arbitrii extraneum caveant ? Niſi illicita minus* tegunt ? (**) *atquin extraneis tam* horrere , *quam confingere magis competit.* Ergo *domeſticorum curioſitas furata eſt per rimulas & cavernas ? Quid ? cum domeſtici* nos *vobis prodant ,* (& omnino (**) *a nullis magis prodimur*) *quanto magis , (ſi atrocitas tanta ſit , quæ juſtitia indignationis omnem familiaritatis fidem rumpit ,* nec *potuerit contineri , quod horruit mens , quod expavit oculus ;) hoc quoque mirum , ſi & ILLE , qui tanto impatientiæ jure proſiluit , deferre , non & probare geſtit ; & ille , qui audiit , non videre curavit.* —— *Tunc , inquitis , cum primo delatum , & exhibitum ,* (***) & *auditum , & ſpectatum eſt ; atque exinde fama commendatum. Hoc quidem ſuperſcendit omnem admirationem : ſi ſemel deprehenſum eſt , quod ſemper admittitur. &c.* Vides , & quidni dudum animadvertiſti , fuiſſe aliquem , qui [illegible] humana [illegible]

(*) Quantum hic locus feliciſſima ingenia exercuerit , videre eſt apud RIGALT. ad h. l. & J. F. GRONOV. in obſ. Ecclſ. cap. XII. At hi Viri D. nondum ſtilo Tertulliani ſatis adſueti , fruſtra fuere. *Non juvare* hic plane idem eſt ac *provocare* in Apolog. i. e. incitare , exacerbare , maturare ; plane ut *juvare* apud noſtrum eſt mitigare, lenire, temperare, infra cap. X. h. l. *Sed aliquo ſolatio privatorum & domeſticorum Deorum querelæ juvantur , quo publice turpius contumelioſiusque tractatis.* Vult. ſc. Septimius his quidem vel maxime ſilentii fidem deberi : ſi interim proderentur , minime mitigarent & temperarent præſentaneum ſupplicium. Sic etiam Ovid. XII. Met. 25. *Bellaque non transfert ;* i. e. impedit. Adde GOTHOFREDUM ad h. l.

(**) Vulgo legitur : *minus ſpernunt.* Sine ullo commodo ſenſu : & mox *tam honorare ,* pro quo ſubſtitui *horrere.* Extranei ſcilicet aliena , & inaudita æque horrent , ac confingunt.

(**) Olim legebatur : *Quid ? cum domeſtici eos vobis prodentes , omnes a nullis magis prodimur ,* - - & mox *continere.* Quæ varie V. D. finxere & refinxere , atque diſtinxere ; minus tamen , ut puto , feliciter.

(***) Olim legebatur : *Tunc , inquitis , primo delatum & exhibitum eſt ; auditum &c.* Id vero nec voluit , nec faſſus eſt noſter , quod criminis ſigna exhibita ſint unquam.

humana quasi criminis atrocissimi aversione, ad denunciandum prosiluit, cui sine ulla probatione, aut inquisitione fidem judices habuere. At de judiciis domesticis, eorumque iniquitate Tertullianus ne γρῦ, vel in Apologetico, vel ad Nationes. Vides etiam proditores Christianorum præcipuos fuisse domesticos; de quibus altum apud Athenagoram & Minucium adhuc est silentium.

Quæ cum ita sint, prona etiam nunc erit conjectura, tum quis ille FRONTO fuerit, ad quem Cæcilius provocat, & *nostrum* i. e. æqualem & consentientem salutat: tum qua ætate uterque vixerit. Sic ex socio noscetur, qui minus ex se & suo nomine adhuc notus fuit. Plures scilicet sæculo secundo clari fuere Frontones: pauci sæculo tertio, & Orator nullus. Illos inter primo loco commemorari meretur, M. JULIUS FRONTO, (*)

(*) Cum CATANÆUS ad Plinii Lib. II. epist. XI. & post hunc alii, diversos hujus ævi Frontones fœde misceant: haud incommodum visum est, præcipuos paullo curatius & distinctius recensere. Hos inter primo loco occurrit ille, qui, ut diximus cum Trajano III. consul fuit, licet primus ipsius consulatus in fastis amplius non legatur, quia post Domitiani mortem *fastos, adulatione temporum fœdatos, exonerarunt.* TACIT. IV. H. c. 40. Iterum Cos. fuit sub Nerva, sed suffectus A. D. XCVII. pessime vero in fastis vulgo M. *Cornelius* appellatur, & haud raro a V. D. cum M. C. *Rhetore*, ac Divorum Fratrum præceptore confunditur, a quo & tempore, & genere plurimum differt, ut egregie monuerunt PAGIUS in Critica T. I. p. 93. & RUPERTUS ad Pompon. de Or. I. §. XVI. p. m. 171. & seq. Sub Trajano enim & Hadriano Frontones e gente JULIA maxime floruere, uti patet ex Inscriptionibus apud GRUTER. p. CXCIX. n. 1. & DLXXIII. n. 2. & 3. Sub Antoninis vero Frontones è gente CORNELIA enituere, uti itidem constat ex Inscriptione apud GRUTER. p CCCLXIX. 2. Illi nobilissimi & dudum inter Romanos clarissimi, uti patet e TACIT. L. I. Hist. c. XX. & L. II. c. XXVI. hi vero Cirtenses Afri, & homines novi, quos Marci Antonini gratia post A. D. CLXI. evexit, & hunc in binos menses suffecit, teste AUSON. in grat. act. p. m. 714. Sed cum suffectus fuit & in fastis non legitur: hinc annus latet. Sic etiam ejusdem nepos consul dicitur in lapide supra laudato p. CCCLXIX. 2. at in fastis nusquam apparet; vel quia tantum suffectus, vel quod dein expunctus fuit. Forte cum *Anullino* Cos. I. fuit; (GRUTER. p. CLXXI. n. 7. & CCLXIII. n. 1.) quos Fasti itidem

Clarum illud militiæ togæque decus ;

judice MARTIALI L. I. epigr. 56. quique cum Trajano A. D centesimo consul fuit. Huius forte sunt decreta Frotoniana vel Frontiana, quæ collegit ARISTO, *L. ult. D. de acquir. & amitt. hæredit.* s. Lib. XXIX. tit. 2. Sed ab huius ætate nostrum haud prope abesse vel inde conficimus, tum quia Trajani temporibus nondum peregrina, & cumprimis Ægyptiaca sacra Romæ invaluerant, ut videre est apud nostrum c. III. VI. XXI. XXVIII. tum quia iisdem temporibus hæ calumniæ nondum increbuere, quibus dein Pseudo-Philosophi Christianos vexarunt. (*) Duo itaque alii hic maxime in censum veniunt, quorum alter fuit Rhetor, JCtus alter, sc. PAPIRIUS FRONTO, cuius responsa laudat CALLISTRATUS JCtus, quem scimus sub Severo & Caracalla floruisse. Parum ergo juvabit DAVISIUM, quod posteriorem maluerit, &

itidem nesciunt. Ab his tum Juliis, tum Corneliis diversus etiam erat CATIUS FRONTO Orator, quem commendat PLINIUS ep. laud. & Lib. V. c. 13. DIO etiam Lib. LIX. (licet ibi male *Corn.* legatur) & HIERONYM. ad Rustic. Rom s. Epist. IV. p. m. 30. ob gravitatem laudant: MACROBIUS vero ut siccum carpit Lib. V. Sat. c. 1. nisi hic Cornelium voluit; quos CATANÆUS itidem confundit, & quod turpius, CATIUS cognomen eius esse censet, quia a Plinio postponitur. Dudum vero est, quod V. D. observaverint, VELLEJO & PLINIO nihil familiarius esse, quam cognomen gentilitio præponere. *Catia* equidem gens ex lapidibus æque nota est, ac quod *Fronto* variarum gentium cognomen sit. Num vero hicce Catius, an ille Julius magis juris scientia inclaruerit, non omnino liquet, quamvis in Julium potius inclinamus, quia ad hunc utique rescripsit TRAJANUS, *l. 5. D. de pœnis*, & hic militia æque ac toga clarus a Martiali dicitur. Julius etiam Catio senior fuit, & hinc Aristo, Catii æqualis, illius, ut senioris JCti, decreta collegit Non enim M. JULIUS, M. F. IIII. Vir, ut putabat RUPERTUS l. c. sed MARCUS Pater cum Trajano III. Cos. fuit, quippe minime probabile sit, tantum Virum post III. Cos. dein IIII. Virum Viarum factum esse. Id enim munus non æque honorificum erat, ac cura Alvei & Riparum Tiberis & Cloacarum Urbis, quæ Rupertus perperam æquat. De Curatoribus A. & R. T. & Cl. videsis GRUTER. p. CCCLXXXI. 3. & CCCCXXXI. 4. & CCCCLIV. 3. 5. De Curatoribus Viarum idem p. XLV. 8. CLII. 1. 2. CCCC. 5. & CCCCXXX. 5. CCCCXXXIII. 1.

(*) Tum maxime Christianos calumniis incessere cœpere, a quo gratia Hadriani & Antonini Pii invalescere, & Sacraria eorum per universum orbem adolescere, ipsique libere magna frequentia cöire cœpere.

& Balduinum, Rigaltium & Gatakerum petitione principii ad c. XXXI. impugnaverit. (*) Supponit scilicet nimis secure, quod adhuc in quæstione est, sibique sine hæsitatione sumit, hunc Dialogum medio sæculo III. scriptum esse, atque ex hac principii petitione aliorum hypothesin evertere conatur. Quin potius vel ex eo discere debuisset, hunc Dialogum medio Sæculo III. haud scriptum fuisse, quia tunc nullus Fronto Orator inclaruit. Longe ergo felicius alii Frontonem Rhetorem, & Marci Antonini præceptorem hunc fuisse contendunt, qui inimicum in Christianos animum Marco Cæsari, discipulo suo (**) rhetoricis coloribus & conviciis, magno rei Christianæ incommodo inspiravit, eumque superstitionis luto inquinavit.

Inde est, quod Octavius Cæcilio in hunc modum respondet: *si de isto & tuus Fronto, non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut Orator adspersit.* Unde satis apparet, tum qualis Orator, tum quod Cæcilii & Minucii æqualis fuerit. Nec dubitamus, quin ad huius convicia oblique retundenda Dialogum suum Minucius conscripserit, qui simpliciter eundem impugnare ob nimium Imperatoris favorem vix ausus est, licet & argumentorum pondere, & stili elegantia cum ipso certasse nobis videatur. Suetam enim Dialogi mediocritatem, ne dicam humilitatem, Minuciani stili ubertas & venustas longissime superavit, & Tullianam sublimitatem haud raro æquavit; cuius instituti rationem nullam aliam invenio, quam quod ipsi cum summo illius ævi Rhetore res fuerit.

Sed

(*) Felicius forte ad LICINIUM FRONTONEM provocasset, ad quem ANTONINUS CARACALLA rescripsit L. IV. tit. IV. D. l. 18. & cui ULPIANUS forsan respondit L. XLVI. tit. III. D. l. 45. §. 1.

(**) Videantur præter EUTROP. L. VIII. c 6. & CAPITOLINUM in Marco & Vero, DIO Lib. LXXI. p. m. 821. & HIERONYMUS in Catal. c. XXIV. sive in Melitone, quem *librum Imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedisse*, refert. Oratorem vero hoc sæculo dixere, quem potius Rhetorem & Sophistam fuisse, notum est; plane ut nostro sæculo magnos & summos Viros appellant, qui vix inter Liliputhanos nomen tuentur.

Sed his nunc haud immoramur: gratulamur potius nobis de consensu summorum Virorum, qui licet natales huius libelli ad sæculum tertium rejecerint: tamen viam monstrarunt ad veram ætatem aurei huius opusculi curatius indagandam; dum Frontonem Rhetorem nostrum voluisse, nobiscum agnoverint, & obiter ex eo, quando ambo vixerint, nonnulli (*) conjecerint. Id vero maxime mirum nobis videtur, quod nullus horum in memoriam sibi revocaverit, Apologeticos libellos, flagrante persecutione quadam, plerumque exaratos esse, qualis ad Maximinum usque Thracem sæculo III. nulla commemoratur, quamvis Octavius de se & Minucio suo fateatur. *Nos, qui sacrilegos aliquos (**) & incestos, parricidas etiam defendendos & tuendos suscipiebamus: hos* (sc. Christianos) *nec audiendos in totum putabamus; nonnunquam etiam, miserantes eorum, crudelius sæviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent; exercentes in his perversam quæstionem, non quæ erueret verum, sed quæ mendacium cogeret.* c. XXVIII. Vides ipsum de actis tam suis, quam Minucii loqui, & de utroque fateri, quod non tantum olim caussas egerint: sed quod etiam *quæstiones exercuerint*, adeoque sero satis, & sæviente adhuc persecutione, religionis Christianæ Mysteriis

(*) BLONDELLUM & DODWELLUM cumprimis volo, quorum hic Diss. III. Cyprianica: ille in Apolog. pro Hieronymi sententia p. 255. e Frontonis ætate Minucii ævum egregie quidem, sed levissima tantum conjectura adsecuti sunt. Sola enim Frontonis ætas rem non plane nobis conficere videtur, quia Cæcilius admodum juvenis hunc jam seniorem forte audire, & ad Magistri scripta, etiam post fata ipsius, exeunte Sæculo II. in senectute provocare potuerit. Sic de NATALI quodam, qui circa finem sæculi II. floruit, lepidam narrat fabulam EUSEBIUS L. V. Hist. c. 28. quem VALESIUS nostrum Cæcilium fuisse conjicit. At si recte conjecit Valesius, vel ex ipsa fabula satis patet, eum jam decrepitum & delirantem senem fuisse.

(**) Frustra equidem HEUMANNUS τὸ *aliquos* delet, quippe quem fugere haud potuit, nostros hac forma frequenter uti. Vide ex. gr. TERTULL. Apol. c. XI. XXIII. & L. DAVIS. ad Minuc. c. V. p. 32. HERALD. ad Arnob. p. m. 145. Sin tamen hæc forma minus placeat, per me licet, legamus *aliquando*; quod eodem redit, ac *aliquos*, i. e. nonnullos.

steriis initiati sint. *Quæstiones* vero *exercere*, non tam caussarum patroni, sed judicis esse; eosque ergo Quæsitores, vel Præsides egisse, satis certo inde mihi colligere posse videor. Sed demus, ut faciles simus, eos tantum *Judices quæstionis* fuisse: nihilominus ex his, ni fallor, patet, haud obscura nomina, & infimi ordinis Viros Minucium & Octavium fuisse. Quippe hoc munus post ædilitatem capiebatur, quo C. Octavius, pater Augusti functus est; ut scite observavit utriusque Germaniæ decus, J. G. HEINECCIUS in Antq. Rom. Lib. IV. tit. XVIII. §. 15.

Inde vero haud parum caussa nostra ornatur, quod huiusmodi judices, innocentia Christianorum convicti, Christo nomen dederint, &, vel flagrante persecutione, illorum caussam publice agere haud dedignati sint. Si vero per illam persecutionem Septimii Severi vexationem, quum nulla alia id temporis commemoretur, intelligamus: qui quæso probabile fiet, Virum gravem eodem plane tempore, eodemque loco, iisdemque verbis eadem, quæ TERTULLIANUS paullo ante plenius & copiosius edisseruerat, carptim dicere & repetere voluisse, nec tamen fontem, ex quo profecit, laudare. Quod vero Tertullianus Minucium haud laudaverit, facile excusari poterit, quippe qui L. fere annis post longe plura & nova, Minucio non solum indicta, sed & inaudita, acute & copiose disputavit, ita ut Minuciana inter hæc vix appareant. Nostri quoque majores, ut res, sic etiam scripta suorum plane communia censebant, si quis in commodum rei Christianæ eis uteretur.

Sed ut redeamus, unde digressi sumus; vel hinc etiam colligimus, hunc libellum maturius esse scriptum, quam vulgo volunt, quod sæculo II. plures ut Frontones, sic etiam Minucii, cumprimis inter juris peritos, inclaruerint, quos sæculum III. fere nescivit. Hos inter ordinem ducit L. MINUCIUS NATALIS, cos. & Libyæ proconsul, ad quem rescripsit TRAJANUS *de feriis*, & cuius libros JULIANUS commentario illustravit. (*) Ab eo vero longe utique

 diver-

(*) Hunc plerique JCtorum censores multis prosequuntur laudibus. Vid. BERTRANDUS de juris per. L. II. c. 26. G. GROTIUS de Vit. JCtor. L. II. c. 5. §. 12. WIELING. in Jurisprud. rest. p. LXXX. & cumprimis HEINECCIUS in Hist. Jur. L. I. §. CCLXV.

diversus est *Cæcilius* ille *Natalis*, qui cum Octavio disputavit. Nam licet Cæcilius Marcum nostrum *fratrem* salutaverit, & *domi forisque lateri ejus inhæserit*, ut Octavius c. III. testatur: hos tamen vere vel natura, vel adoptione fratres fuisse, eo minus probabile fit, quia Octavius quoque & Marcum, & Cæcilium *fratres* salutare nullus dubitavit, quem tamen horum fratrem fuisse, nemo facile sibi persuaderi patietur. Vid. Cap. III. §. 1. & XVI. 6. Si etiam Cæcilius vere Marci frater fuisset, Octavius non tam a consuetudine & familiaritate argumentum petiisset, ad incitandum Marcum, sed sanguinis lege & jure cum ipso egisset, quo minus pateretur, fratrem media *die in lapides inpingere*; nec Marcus neglexisset, vel verbulo consanguinitatem usquam in Dialogo, cumprimis post conversionem prodere, si sanguine juncti fuissent. Sodales vero & contubernales olim, plane ut nostris etiam moribus haud raro usu venire solet, fratres fuisse dictos, non solum ex Octavii verbis supra laudatis, sed etiam ex ULPIANO *l.* 58. *D. de hæred. instit.* immo & ex SOLONIS legibus discimus, L. 4. *D. de colleg. & corp.* Hinc APULEJUS Lib. X. Met. p. m. 244. *Adsciscor*, ait, *inter duos fratres tertius contubernalis*; adde p. 246. ut nunc de PETRONII & MARTIALIS fratribus obscœnis taceamus. Hi enim in caussa fuere, ut fratrum & sororum nomina, Christianis usitatissima, Ethnicis suspecta, & illis ab his exprobrata sint. Nondum tamen a Cæcilio, qui obiter tantum monet, Christianos promiscue se fratres & sorores appellare, ut inde stupri calumniam, intercessione sacri nominis, in crimen incestus evehat. Cap. IX. 2. Non itaque Christianos ob usum huius appellationis carpit, ut doctiss. BALDUINUS putabat, sed sacrosanctum hoc & inviolabile nomen esse fatetur, ex quo stupri crimen fiat incestum.

Fuerunt ergo contubernales, sodales, imo *eiusdem sectæ homines*: num etiam milites? Ita quidem OUZELIUM censuisse, novissimus editor nobis auctor est. At mihi nondum adeo felicem esse contigit, ut id apud OUZELIUM legerim. Disputat quidem ille de contubernalibus militaribus trita satis, suo more: sed ideo Octavium, vel Cæcilium Minucii contubernalem dici, nullus

nullus Ouzelius dicere ausus est. Id vero eruditissimo JACOBO GRONOVIO tam facile placuisse, miror, quem fugere non potuit, hanc formam JCtis de togatæ militiæ contubernio frequentissimam fuisse; uti patet tum e legibus 183. & 184. D. de V. S. tum e PLINIO L. I. epist. XIX. *Municeps tu meus*, ait, *& condiscipulus, & ab ineunte ætate contubernalis.* Et Lib. II. epist. XIII. *Ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis; cum hoc seria, cum hoc jocos miscui.* (*) Et equidem parum abest, quin crederem, nostrum, cum hæc scriberet, illa Plinii æmulatum esse. Nec ideo tamen doctissimi GRONOVII conjecturam plane abjicimus, aut cum LINDNERO dubitamus, *num mos ille militaris sequioribus hisce sæculis usu receptus manserit:* quippe VEGETIUS Lib. II. c. XIII. nos de eo hæsitare vix patitur. Adde LACTANTIUM de Mort. Pers. c. XX. *Habebat ipse Licinium veteris contubernii amicum & a prima militia familiarem.* Nullus interim dubito, quin MINUCII hæc scribentis animo togatum præcipue contubernium obversaverit, quippe qui intimam in ludicris & seriis consuetudinem Octavii commendat, & Cæcilium *eiusdem sectæ hominem* laudat, C. IV. (**) Simillimi scilicet hi Triumviri erant

C 2 Minu-

(*) Adde Lib. X. Epist. CXI. CICER. Lib. IX. ad divers. Epst. XX. TERTULLIAN. ad Scap. c. ult. qui etiam amicas dixit *contubernales* L. I. ad uxor. c. ult. quo nomine olim servorum quasi conjuges significabantur. Quid? quod etiam Dii, qui eodem templo colebantur, contubernales audiunt. CICERO L. XIII. epist. 28. LACTANT. L. I. Inst. c. 11. § 39. Hinc APULEJUS L. VI. p. m. 177. *Tunc formicula illa*, ait, *parvula -- contubernalis magni Dei.* Apud GRUTER. exstat quoque inscriptio p. LXII. n. 4. IN H. D. D. D. NEPTUNO CONTUBERNIO NAUTARUM CORNELIUS ALIQUANDUS D. S. D. & p. LV. n. 10. CONTUBERNIUM MARTICULTORUM laudatur. Quid ni igitur cœtum Christianorum contubernium Christicultorum & Christianos contubernales dictos esse credamus?

(**) Mire hic locus Viros doctos exercuit, quorum conjecturas hic recensere nihil attinet. Forte scripserat: *ut istius Sectæ* (quam Octavius scilicet temere, ut putabat, punxit) *homo cum eo disputem: jam profecto intelliget, facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere sapientia.* Ita scilicet lego, obsecutus Mst. levissima mutatione. Cum vero hic plurima & varia occurrant, quæ doctissimi Interpretes vexaverint: de singulis pauca adjicere liceat. Et quidem primo notamus, quod si cui τὸ *istius*

(sc.

MINUCIANO, de quo PLINIUS: *rectissimus judex*, *fortissimus advocatus*, *fidelissimus amicus fuit*; at quales Minucii, vel Minuciani e sæculo tertio laudantur rarissimi, vel nulli. (*)

Sæ-

(sc. paganæ) *secta* minus placeat: hunc de JCtorum, vel Philosophorum secta, vel etiam de vitæ genere & instituto, quod itidem *secta* dicitur, hæc verba capere, facile patimur. Sic CAPITOLINUS in Vero cap. I. *A cuius secta lascivia morum -- dissensit.* FLORUS L. III. c. XII. *Innoxia pastoriæ illius sectæ integritas.* Et EUMENIUS in paneg. *Sectam forensium patronorum* commemorat, quem locum nobis ostendit BARTH. ad Claudian. p. m. 241. Uterque enim erat JCtus fortissimus, & in dicendo exercitatissimus advocatus, qui non facile vadimonia deserebant. Longe itaque difficilius erat cum eiusmodi homine disputare, quam *in contubernalibus*, i. e. inter contubernales, ut supra cap. III. *in pueris*, & infra c. XXXVII. *in hostibus*; Sic & CICERO *in bonis*, pro inter bonos, in Lælio c. V. & & EUTROPIUS L. X. c. VIII. *in Senonis*, pro inter, apud Senonas, ubi plura adtulimus exempla. Sed quinam illi? Sodales sc. non solum amicissimi, sed etiam Christicultorum contubernium; quippe Christiani inter se jure hospitii adhuc utebantur, & in cœtibus suis de hisce rebus disserebant. Cum vero ibi singuli, nemine contradicente, disputabant, hinc tali contubernio opponit sapientiam, i. e. sapientes, Philosophos nempe Ethnicos, & JCtos, qualem se profitebatur Cæcilius; id quod Interpretes adhuc minus adsecuti sunt, & misere hunc locum dilacerarunt. Nihil vero frequentius hac forma apud nostrum. Sic MINUCIUS mox infra §. 4. *de qua tot omnibus sæculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa Philosophia deliberat*; i. e. omnes omnium sectarum & sæculorum Philosophi. Et §. 12. *In pace etiam non tantum æquatur nequitia* (i. e. homines nequam) *melioribus: sed & colitur.* Ubi suo tempore π. ϴ. plura. Num vero præpos. *eum* exciderit, an a nostro neglecta sit, nunc non definio. Utrumque haud raro accidit.

(*) Olim quidem *L. M. P. Q. Minucii Augurini*, sub libertatis auspiciis, inclaruere, haud dubie Patricii, ut patet ex Fastis Coss. Ast sub Imperatoribus Plebeji, Anniani, Fausti, Felices, Fundani, Macri, Natales, Quintiani, Rufi, Thermi, Titiades, Vindices, Vitales, innotuere, quos lapides loquuntur: nullus tamen inter hos sæculo tertio vel toga & calamo, vel armis illustrius nomen meruit. Sæculo vero I. C. *Minucius Fundanus* sub Tiberio conf. fuit; GRUTER. p. LXXII. 1. & p. CLXXXVIII. n. 6. Alius *Minucius Fundanus* sub Trajano & Hadriano enituit, uti patet tum ex PLINII epist. IX. L. I. tum e celeberrimo Hadriani rescripto. Huius æquales fuere tum *Minucius Natalis*, de quo supra diximus, tum *Acilianus*, Macrini F. itidem ex Plinii Epist XIV. Lib. I. notus, sed cuius integrum verumque nomen potius fuisse videtur *Corn. Acilius Minucianus.* Conf. Epist. XXII. Lib. VII. Videtur enim per avunculum *P. Acilium* adoptione in gentem Aciliam adscitus, & hinc non Acilianus, sed Minucianus dicendus.

Sæculo vero II. Minucia gens & numerosa; & clarissima fuit, licet plebeja, cumprimis Romæ & Brixiæ; vid. PLINIUS L. I. Epist. XIV. & GRUTER p. CCCCXXXVIII. n. 8. & p. MXCVII. n. 5. ex quo admodum probabile fit, nostrum quoque vel Brixiensem, vel certe Italum fuisse. Afrum quidem suspicatur BALDUINUS in diss. de Minucio F. sed timide; nihilominus plerique alii eum satis temere sequuntur, & Minucium ex eo Afris adscribunt, quia Cæcilius Frontonem Cirtensem *suum* dixit. (*) Dudum vero est, quod ad SULPICIUM SEVERUM monui, *suos* & *nostros* dixisse æquales & consentientes, cuiuscunque gentis, aut populi sint. Quid? quod LACTANTIUS *nostros* constanter dixerit Romanos, licet Ethnicos, & dissentientes; & quis quæso dubitabit Frontonem civem Romanum fuisse, qui a discipulo suo Consul suffectus fuit. Nec ex eo; quod Cæcilius & Fronto communem forsan Patriam habuerint, recte infertur Minucium etiam eiusdem terræ filium fuisse. (*)

Sed genus dicendi, ajunt, secutus est, quale Afri illi Tertullianus, Cyprianus & Arnobius amant. Scilicet hi Minucium nostrum imitari sibi laudi duxere, & inde stili quædam similitudo nata videtur. Accedit, quod per Africanos illos Rhetores, qui Romæ sub Marco Antonino maxime floruere, formæ Africanæ invalescere, & antiqua illa castitas magis, magisque deficere cœperint, ut, si hos omnes Afros fuisse velis, apud quos Africismi occurrunt, jam nullum amplius Romanum reliquum facturus sis. (**) Quid? quod multæ apud Minucium formæ Africismi accusentur, vel importuna crisi vexentur, quæ latinissimæ & aureæ plane ætatis sunt. Quem Interpretum ex. gr. non offendit illud nostri Cap. V. §. 5. *aut stuprare religiosum?* URSINUS & CELLARIUS *sciscitari*; SCALIGER *ruspari*; HEUMAN. *scrutari*; Ampl. VONCK in specim. Crit. p. 136. *superare*; Cl. de RHOER in

 Fer.

(*) Equidem miror in Lexico eruditorum Lipsiensi hunc Frontonem *Gallum* dici, quem Cirtensem fuisse, e Minucio satis constat. Et vellem huiusmodi Lexicon, Lingua eruditorum, & majori ἀκριβείᾳ ab eruditorum contubernio quodam conscriberetur.

(**) Vid. HIERONYM. Apol. advs. Ruff. p. m. 163. T. II. edit. Tribech.

Fer. p. 229. *curare*; Cl. WITHOF. ad Orat. funebr. in obitum vener. Loersii p. 37. *suspicari*; maluere: sed frustra, & plane praeter Minucii mentem. Audiamus TERTULLIANUM de praescript. haeret. c. XLIV. *Quid ergo dicent, qui illam* (fidem) *stupraverint adulterio haeretico*; & in Apolog. c. VI. *qua theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant*; & cap. XV. *Nonne violatur majestas, & divinitas constupratur, plaudentibus vobis.* & ad Nat. L. I. c. 10. p. 22. *Constuprantur majestates coram vobis in corpore impuro.* Hinc *adulteria disciplinae* Apol. cap. XLVII. & *adulteria scripturarum*, de praescript. haeret. c. XIX. Stuprare itaque non est, *sciscitari*, *scrutari*, *suspicari*, multominus *curare*: sed perverse sentiendo & censendo corrumpere, vim inferre. Ne vero Africismum putes, obstat & repugnat ipse CICERO ad Attic L. I. epist. 18. quem (sed ex FABRI Thes.) cum nostro recte contulit LINDNERUS.

Quam misere se etiam V. D. torquent, ut illa cap. VI. §. 5. quae pisce saniora sunt, emendent: *Sic, cum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt.* Nam cum in Msto, monente MEURSIO, legatur: *meruut*: hinc conjecturarum seges; dum MEURSIUS: *inierunt*, vel *regnaverunt*; J. GRONOVIUS: *iverunt*; CELLARIUS: *regnare meruerunt*; DAVISIUS in prima: *merent*; (verbo Plauto olim usitatissimo, in secunda vero editione horum nihil legitur,) substituere jubent; quam temere & inscite vel ex auctore nostro patet satis, qui supra c. V. §. 13. *Si mundus... alicuius numinis auctoritate regeretur: nunquam mereretur Phaleris & Dionysius regnum.* Et infra de Socrate: *merito testimonium meruit prudentiae singularis* c. XIII. §. 1. i. e. consecutus est, obtinuit; quo sensu hoc verbum sexcenties etiam ab optimis Latinitatis auctoribus adhiberi, pluribus diximus ad SULPICIUM SEV. in Verosimil. Fasc. IV. p. 67. & 68. & nuper ad EUTROP. L. X. c. 5. p. 158. Aeque imperite sequentia vexantur: *quippe antiquitas carimoniis atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit: quantum adstruxerit vetustatis*; Ubi novissimus editor: *iuvenustius antiquitas dicitur ceremoniis adstruere vetustatem*; & Ven. HEUMANNUS, illo crudelior, delendum censuit τὸ *antiquitas*. Scilicet

cet uterque minus cogitavit abstractum pro concreto adhibuisse; plane ut CICERO L. II. de Divin. c. 33. quem in rem suam, sed plane præter mentem Ciceronis, advocant. Sic infra iterum c. VII. *Antiquitas* pro antiquis; & supra c. IV. *sapientia* pro sapientibus; c. VIII. *humanitas* pro hominibus; c. X. *Gentilitas*, pro gente; Et ita quoque CICERO *in amicitiam* dixit, pro in amicos, & *novitates* appellat novos amicos, in Lælio c. XVI. & XIX.

Plura nolo, ne nimis in Tua, Macte virtute meritisque! augustissima tempora & publicam salutem peccem; ideoque hanc de Stilo Minuciano disputationem in ipsam, quam paramus, auctoris editionem differam; & leviora quædam dubia, quæ contra nostram de ætate Minucii hypothesin adhuc moveri possunt, diluam. RIGALTIUS scilicet ex illis Cæcilii cap. VII. *Et ut Parthos signa repetamus, dirarum imprecationes Crassus & meruit, & irrisit;* ætatem nostri sub Severo adsignare aggreditur, quia noster de signis a Parthis olim raptis, jamque repetendis in præsenti tempore loquitur; idque tanti videbatur DAVISIO, ut librarium negligentiæ reum agendum, & *repeteremus* legendum putaverit. Ast, præterquam quod hæc enallage apud Romanos frequentissima fit, (*) & noster supra quoque eodem modo dixerit: *Sic Claudii & Junii non prælium in Pœnos, sed ferale naufragium* est; (**) licet mox pergat: *& ut Thrasimenus Romanorum sanguine & major esset & decolor: sprevit auguria Flaminius:* quis nescit, Romanos illam a Parthis Crasso & Antonio illatam injuriam, nunquam satis vindicatam, putasse. (*,*) Si itaque bellum Parthis illatum

(*) Conferatur ex. gr. Doct. WOPKENS in Lect. Tullian. L. I. c. VII. p. 34.

(**) Temere hic iterum DAVISIUS in secunda editione, (quam, utpote rarissimam nostris in terris, & ne Menekenio unquam visam, e. o. repetam;) verbum *est* delendum censuit. Id vero si licet, facile quidlibet ex quolibet facies. Quare animi admodum pendeo, num huiusmodi vexationes, lacerationesque optimi auctoris, in nostra editione repetendæ, & cumulandæ, an potius una littura delendæ sint, additis tantummodo receptæ lectionis vindiciis. Sed dandum forsan aliquid sæculi moribus, putabis, nec perituræ parcendum chardæ; de eo ergo amplius.

(*,*) Videatur CASAUBONUS ad Sueton. Aug. c. XXI. & Tiber. c. IX.

illatum noster respiciat, quid obstat, quominus illum Parthicum bellum a Divis Fratribus susceptum, & a Lucio feliciter gestum, significare voluisse credamus? Æque ergo frustra est Rigaltius, ac Vener. HEUMANNUS, qui, ut hoc obiter addam, pro *Parthos* a Parthis, substituere jubet. Quem enim fugit, nostrum cum Plauto, Virgilio & Cicerone haud raro loqui, apud quos hæc forma haud infrequens est. VIRGILIUS L. IX. Æn. vs. 71.

Sociosque incendia poscit ovantes

CICERO L. II. epist. 7. *Orationes me duas postulas.* SILIUS ITAL. IV. 768. *poscere cæde Deos veniam.* MARTIALIS XII. epigr. LVI. *Soteria poscis amicos.* LIVIUS L. VII. c. 32. §. 4. *signum duces poscere.* (*) Sed, ohe! jam satis, ais, nugarum grammaticalium: restant graviora, quæ tuam premunt hypothesin. Nec inficior, Vir optime, quædam adhuc subsidere, quæ minus expedita sint, quæque Viros doctissimos compulere, ut in alia omnia irent. Si vero eadem paullo adtentius inspicias & curatius excutias: facile, ω Κεςπηι Κελπκωτατε! invenies, non solum hæc cum nostra hypothesi amice consistere posse, sed plane eandem comprobare. Novissimus scilicet Editor, auctoritate summi Viri, DAN. HEINSII ad Senecæ Herc. Oet. ex vexatissimo loco c. XXXVII. §. 7. veram ætatem Minucii expiscaturus, *mentes perdita licentia* interpretatur milites prætorianos, qui *potestates*, sive imperia & magistratus, *libere nundinabantur. Hoc vero*, pergit, *cum non nisi sublato antecessore facere poterant: Pertinacis casum* (eccur non Galbæ, Vitelli, Domitiani, aut etiam Juliani, Caracallæ, Macrini, aut Heliogabali?) *violenta morte a militibus sublati, Minucium respexisse, quis dubitat?* quem in finem cumprimis ad HERODIANI L. II. c. VI. provocat. Verum enim vero licet facile demus, per *potestates* imperia & magistratus, cumprimis in provinciis, significari: nulla tamen nos necessitas urget, ut per potestates intelligamus *Imperatorem*, & duas voces *ingenium eorum* temere ejiciamus. Hæc equidem vulnera haud paullo lenius coibunt, si lega-

(*) De verbo *petere* diximus ad EUTROPIUM tum in specim. emend. p. 133. tum in indice crit. ad h. v.

legamus: *In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur: ut* interitum *eorum perditæ mentes, licentia potestatis, nundinentur.* Atque adeo per *dominationes* intelligamus magistratus tam Urbanos, quam Provinciales, quos perditæ mentes, fumorum venditores, & aulæ pestes, (*) etiam sub optimis Imperatoribus haud raro nundinabantur, & vicissim plus alio iterum licitante, iisdem artibus evertebant. In provinciis etiam Proconsules & Præsides haud raro fortunas & vitam tum provincialium, tum etiam Equitum & Civium Romanorum nundinasse, vel e PLINIO, quem Minucius gnaviter versabat, Epist. XI. & XII. Lib. II. discimus. Notat ergo calamitatem suorum temporum, quando, nimia indulgentia MARCI, invidia, atque avaritia percitæ & perditæ mentes, & *impudentissimi hellnones*, Philosophi, (V. MELITO apud Euseb. L. IV. H. E. c. XXVI. & JUSTINUS M. Apol. I. p. 46. & 47.) *palam diu noctuque grassabantur, & non solum homines* innoxios spoliabant, sed etiam interitum potestatum, licitatione quasi, libere nundinabantur, tum ut emtores his succederent, tum ut iras & odia in quosvis impune exercerent. Conf. CAPITOL. in Marco c. XXIII. & CASSIUS apud Vulc. Gallic. c. XIII. Tales *Institores* (ita lego apud LAMPRID. in Commodo c. I. p. m. 473.) *in aula* tunc fuere frequentissimi, ut etiam tam patris Marci, quam Institutorum curam & disciplinam in erudiendo Commodo irritam fecerint. Non mirum ergo, quod Veterasinus, perditæ mentis & detestandæ famæ homo, non solum honores petierit, sed etiam Marco, ipsum monenti, ut se ab opinionibus populi vindicaret, libere, nec cunctanter responderit: *multos, qui secum in harena pugnassent, se Pratores videre.* CAPITOL. in Marco c. XII. Hinc Cassius ad generum suum: *an ego Proconsules, ego Præsides putem, qui ob hoc sibi a Senatu & ab Antonino provincias datas credunt, ut luxurientur, ut divites fiant. Audisti Præfectum Prætorii nostri Philosophi, ante triduum quam fieret, mendicum & pauperem,* (Rufus Basæus forte, vid. DIO L. LXXI. p. m. 809.) *sed subito divitem factum. Unde quæso, nisi de visceribus Reipublicæ & Provincialium fortunis?* Apud VULC. GALLIC. cap. ult. Si ergo de hisce Institoribus aulæ, eorumque suffragatoribus & quadruplatoribus nostrum

(*) De quorum pœna Doctiss. J. H. JUNGIUS tuus singulari & lucernam olenti libello a. p. egit, qui hic conferri meretur.

capiamus, omnia rectius longe fluent, & scite magis cohærebunt, quam si de singulari quodam casu & seditione prætorianorum cogitemus.

Unicum tamen sed & præcipuum momentum, testimonium scilicet divi HIERONYMI, adhuc obstare, ais, quominus album tandem calculum nobis adjicias. Ille enim tum in *Catalogo*, tum in *epistola ad Magnum*, tum in *Epistola ad Heliodorum*, tum in *Apologia advers. Jovian.* ubi Christianos scriptores recenset, constanter ubique Tertulliano Minucium postposuit.

Sed Hieronymo antiquior testis, nec in hac caussa contemnendus, Tullius ille Christianus, & lacteæ eloquentiæ LACTANTIUS, repugnat; qui principes Christianæ caussæ patronos in hunc modum recenset Lib. V. Instit. c. 1. §. 22. *Ex iis*, ait, *qui mihi noti sunt*, MINUCIUS FELIX, *non ignobilis inter caussidicos loci fuit. --- Septimius quoque* TERTULLIANUS *fuit omni genere litterarum peritus --- Unus igitur præcipuus & clarus extitit* CYPRIANUS, *qui & magnam sibi gloriam ex artis Oratoria professione quæsierat. &c.* Vides ipsum temporis ordine primas dare Minucio nostro, artis vero præstantia & claritudine reliquis præferre Cyprianum; licet hic nostrum sedulo exscripserit, nec unquam laudaverit. Cum etiam HIERONYMUS in Catalogo ad Lactantium provocet, suaque ex eo hausisse fateatur; cæterum in tribus aliis libellis, supra laudatis, ordinem temporis negligat: plane non puto eidem in eadem caussa repugnare voluisse, sed Tertulliano ob majorem claritatem principem inter hos locum concessisse. Tam vagum certe & lubricum testimonium externum, internorum supra a nobis prolatorum auctoritatem, eo minus elevaturum & labefacturum puto; qui, quæ mens Lactantii fuerit, etiam ex alio loco satis clare mihi perspicere videor. Hunc nobis suggessit RIGALTIUS, dum duplicem commisit errorem, ad Minucii c. XXII. Laudat ibi LACTANTIUM L. I. D. Inst. 11. §. 55. p. m. 67. Cell. p. 48. simulatque eundem carpit, quod Minucium fecerit observationis auctorem, quæ Tertulliano debeatur; negatque Lactantium Tertulliani Apolog. legisse, cum Institutiones scriberet. Spissus utrumque error! Et legerat, & laudat Tertullianum non solum inter cæteros veritatis adsertores l. c. l. sed & eius *Apologeticum* totidem syllabis L. V. c. 4. §. 3. verum ut Minucio nostro sequiorem; huiusque observationis primum auctorem, non Tertullianum, sed Minucium, eo antiquiorem, jure merito renunciavit. Ita quidem nobis videtur: sed Tuum potius, Mecænas eruditissime! acutissimum, limatissimumque valeat judicium, cui sanior orbis facile mecum adsurget. Quis enim rectius, quis felicius de scriptis, dictisque JCti Christiani judicabit, quam Jurisconsultorum Christianissimus, & Christianorum Jurisperitissimus. Tali vero, tantoque Viro, quem virtus & doctrina supra invidiam evexit, cum non solum blanditiæ, sed etiam vera laus molesta sit, verbulum haud amplius adjiciam: sed TE, quem non magis indigenæ, quam τὸ περὶ τὸ δῆνος venerantur, pia mente & grato ad cineres pectore observare & colere pergam. Dabam Campis Natali Die A. D. MDCCLXII.

FASTI MARCI ET LUCII ANTONINORUM.

V.C.	Chr.	COSS.	TR. P. M.	TR. P. L.	IMP. M.	IMP. L.	
914.	161.	Marco III. & Lucio II. Augg.	XV.	I.	-	-	ANTONINUS PIUS obiit VII. Martias TR. P. XXIV. Imp. II. Cos. IV. vid. GRUTER p. CCLVI. 6. & CCLVII. 4. Imperavit post mortem ADRIANI A. XXII. m. VII. d. XXVI. Successit MARCUS, qui mox LUCIUM adscivit, & tunc primum Imperium Rom. duos Augustos non solum, sed etiam Pontiff. Max. habuit, frustra refragante PAGIO, vid. FLEETW. in syll. p. 104. n. 2. & GRUTER. p. CCLVII. 11. MARCO pridie Kal. Septemb. gemini nati, COMMODUS & ANTONINUS, qui posterior quadrimus elatus est. LAMPRID. in COMMODO C. I. Eodem anno LUCIUS, consentiente Senatu ad Parthicum bellum missus est, ut volunt BARONIUS, PAGIUS & BASNAGIUS, vel sequenti, ut NORISIUS, & alii.
915.	162.	Rustico & Aquilino.	XVI.	II.	-	-	Hoc anno exeunte, vel sequenti MARCO alius filius, ANNIUS VERUS, natus est.
916.	163.	L. Papirio & Junio Pastore.	XVII.	III.	-	-	LUCIUS VERUS duxit LUCILLAM MARCI filiam. Eo refero nummum cum navi praetoria apud BEGERUM p. 677. II. 2. l. I. sed quem male intellexit & interpretatus est. Adi PAGIUM ad h. A. p. 150. Hunc etiam annum signat inscriptio apud GRUTER. p. MLXXXII n 6. 7.
					I.	I.	ubi, quod mireris, MARCUS jam GERM. appellatur, nisi forte ARM. vel PART. sit legendum. Hoc enim A. hunc titulum IMPP. primum meruisse videntur.
917.	164.	Macrino & Celso	XVIII.	IV.	II.	II.	Hoc anno Rex Armenis datus SOHMUS, & uterque Augustus IMPP. II. appellati sunt. Conf. nummus apud BE-

V.C.	Chr.	COSS.	TR. M.	P. L.	IMP. M.	IMP. L.	FASTI ANTONINORUM.
							BEGER. l. c. p. 674. MARCI n. 7. & L. VERI p. 676. n. 2. & 3. & p. 677. n. 1. Eodem anno inclaruit M. CORN. FRONTO, Rhetor, CASSIOD. & forte COS. suffectus fuit.
918.	165.	Pudente & Orphito.	XIX.	V.	II.	II.	Hoc anno PEREGRINUS Philosophus, cognomento PROTEUS, se in rogum immisit.
					III.	III.	Eodem Augusti IMPP. III. dicti sunt, testibus nummis, quamvis apud BEGERUM p. 674. n. 7. vitiose legatur TR. P. XVIII. IMP. III. quippe in aliis MARCI nummis reperitur TR. P. XIX. Imp. II. & LUCII TR. P. V. Imp. II. Nihil ergo mutandum apud GRUTER. p. CCLX. n. 1. Eodem ex Oriente rediisse LUCIUM, multis contendit PAGIUS ad A. CLXVI. p. 161.
919.	166.	Pudente II. & Pollione.	XX.	VI.			Hoc anno ambo Imperatores Parthicum egere triumphum, &
					IV.	IV.	IMPP. IV. dicti sunt. vid. BEGER. p. 676. n. 4. & PAGIUS ad h. A. l. c. Filii MARCI, COMMODUS & VERUS, petente LUCIO, Caesares creati sunt, IV. Id. Oct. LAMPR. in COMMOD. c. II. Pax per orbem constituta, testibus nummis; persecutio IV. vero secundum PROSPER. AQUIT. initium habuit.
920.	167.	L. Vero III. & Quadrato.	XXI.	VII.	IV.	IV.	EUSEBIUS tamen eandem ad h. a. refert. Circa hæc ergo tempora & ATHENAGORAS Legationem obiit, & MINUCIUS OCTAVIUM edidit, & JUSTINUS M. alteram Apologiam Marco & Lucio exhibuit, quamuis annus singulorum definiri nequeat.
921.	168.	Paullo & Montano.	XXII.	VIII.			Hoc anno uterque AUGG. ad Germanicum bellum profecti, &
					V.	V.	V. Impera-

V.C.	Chr.	COSS.	TR. M.	P. L.	IMP. M.	IMP. L.	FASTI ANTONINORUM.
							peratores nuncupati sunt, sive de Bucolicis in Ægypto devictis, sive de Germanis, vid. GRUTER p. CCLVIII. 3. & nummi apud PAGIUM ad A. CLXIX. p. 164.
922.	169.	Prisco & Apollinare.	XXIII.	IX.			Compositis utcunque tum bello, tum omnibus, quæ ad munimen Italiæ & Illyrici pertinebant, (CAPITOL in VERO c. 9.)
					VI.	VI.	Augusti ab exercitu IMPERATORES VI. & GERMANICI salutati sunt, testibus nummis apud PAGIUM p. 165. ad h. A. & DIONE Lib. LXXI. p. m. 808. Sæviente etiam, quantum antea nunquam, peste, in fine anni Romam redire cogitarunt: sed in itinere apud Altinum obiit LUCIUS, postquam regnaverat A. VIII. & menses fere IX. Nullos sane nummos, lapidesve videre contigit, in quibus A. X. vel XI. TR. P. sit notatus. vid. GALENUS de libris propr. c. 2.
923.	170.	Cethego & Claro.	XXIV.		VI.		Hoc anno, justis LUCIO peractis, MARCUS iterum in Germaniam est profectus, testibus nummis, in quibus PROFECTIO AUG. notatur. Eodem alterum filiorum amisisse MARCUM: MELITONEM vero Eidem Apologiam exhibuisse, contendunt EUSEBIUS & PROSPER.
924.	171.	L. S. Severo & Herenniano.	XXV.		VI.		TATIANUS & BARDESANES inclaruere. PROSPER. Nihil tamen obstat quominus BARDESANES jam ante LUCIO ob eruditionem innotuerit.
925.	172.	Orphito & Maximo.	XXVI.		VII.		MARCUS, pluvia suis, hostibus fulminibus, Christianorum, qui forte aderant, militum precibus, impetratis, Imperator VII. dictus, & FAUSTINA mater exercituum appellata est. DIO. L. c. p. m. 812. Eo etiam refero nummum apud VAILLANT, recensente TENTZELIO in colloq.

V.C.	Chr.	COSS.	TR. M.	P. C.	IMP. M.C.	FASTI ANTONINOR. MARCI ET COMMODI
						menstr. A. 1694. p 363. in quo apparet Jupiter triumphali in curru fulmine prosternens Quadorum Regem.
926.	173.	Severo II. & Pompejano.	XXVII.	V.	VII. I.	Eodem anno defecit Cassius & occisus est. CAPITOL. c. 24. in MARCO, & VULC. GALL. in Cass. c. 9. 10. 11. Tunc MARCUS Pompejanum in a. s. consulem designavit, & Patres COMMODO TRIBUNITIAM POTEST. & justum imperium, simulatque præsentiam Patris rogarunt: sed neutrum statim obtinuerunt. VULC. GALL. in CASS. c. 13. tamen idibus Herculeis, s. Octobris, COMMODUS GERMANICUS est dictus, testibus LAMPRID. in COM c. 12. & nummis.
927.	174.	Gallo & Flacco.	XXVIII.		VII.	Extat etiam nummus apud VAILLANT. & TENTZEL. p. 363. in quo legitur: TR. P. XXVIII. Imp. VI. Cos. III. ADVENTUS AUG. omnesque lapides atque nummi unum AUG. testantur usque ad A. CLXXVIII. Moris enim non erat cuiquam TRIB. & PROCOS. potestatem ante Cos. tribuere Conf. L. BEGER. in Thes. Brand. p. 651. & 652. Ipse PAGIUS ad A. CLXXV. p. 169. in fine fatetur, quod COS. I. COMMODI *omen fuerit* TRIB. POTEST. & PROCOS. *imperii eidem conferendi.* Cum tamen alii lapides & nummi dissentiant, duplex initium TRIB. POT. statuamus necesse est; ut pluribus docui in disq. crit. de πρεσβ. Athenag.
928.	175.	Pisone & Juliano.	XXIX.		VII. I.	XIII. Kal. Februar. COMMODUS in omnia collegia sacerdotalia est assumptus. LAMPRID. in COMMODO c. XII. ætatis A. XIV. ibid. c. 1. sequenti etiam Pont. Max. creatum esse, docet inscriptio apud GRUTER.

p.

V.C.	Chr.	COSS.	TR. M.	P. C.	IMP. M.C.	FASTI ANTONINOR.
						p. CCLXII. II. I. Idem iisdem Coff. XIV. Cal. Ælias i. e. Junias accersitus a Patre, in Germaniam est profectus. DIO. L. LXXI. p. 816. LAMPRID, in COMMODO c. 12.
929.	176.	Pollione II. & Apro II.	XXX.		VII.	Profectus itaque est, commendatus militibus, cum patre in Syriam & Ægyptum, & sequenti demum anno cum Patre Romam rediit. LAMPRID. in COMMODO c. 2. p. m. 478. In hoc itinere FAUSTINA in radicibus montis Tauri, in vico Halalæ, subito morbo exanimata obiit. CAPITOL. in MARCO cap. 26. MARCUS dein Athenas venit, initiatusque vicissim magnos honores tribuit Atheniensibus, quorum in urbe doctores omnis doctrinæ, annua mercede conductos, constituit ad omnium generum utilitatem. DIO I. c. p. m. 819. Octavo tandem anno Marcus ad Italiam navigio rediens, togam & ipse sumsit, & milites togatos esse jussit. (*) Omnibus etiam remisit id, quod fisco, ærariove publico ab annis VI. & XL. debebant, jussitque omnes syngraphas de iis rebus comburi. DIO I. c. p. m. 820. Mox filium, venia legis annariæ impetrata, consulem designavit:
					VIII. II.	uterque vero, Pater VIII. & Filius iterum, Imperatores sunt appellati V. Kal. Decembr. LAMPRID. in COMMODO c. II. & XII. quando etiam prænomine Imperatoris COMMODUS ornatus esse videtur. CAPITOL. in MARCO c. XVI. GRUTER. p. CCLXI. n. 6. & nummi. Dein

(*) Hac forte occasione COMMODO quoque togam virilem dedit, LAMPRID. cap. 12. Lege ergo c. 2. *apparuit. Et eo tempore — profectus est*, &c.

V.C.	Chr.	COSS.	TR. M.	P. C.	IMP. M.C.	FASTI ANTONINOR.
						Dein ambo Imperatores x. Kal. Januarias triumpharunt, teste LAMPRIDIO l. c. adstipulantibus nummis cum quadrigis, nec non inscriptione apud GRUTER. p. CCLX. n. 4. ubi tamen pro TR. P. XX. legendum XXX. Idem accidit in nummo apud BEGER. p. 674. l. c. n. 5.
930.	177.	L. A. Commodo & Quintillo.	XXXI.	I.	VIII. II.	Post triumphum Lavinium profectus MARCUS COMMODUM sibi collegam in tribunitia potestate junxit, cujus dignitatis omen fuit consulatus, quem Kal. Jan. iniit. Vid. CAPITOL. in MARCO c. XXVII. & PROSP. in Chr. num proconsularem quoque potestatem tunc acceperit, non liquet. Pacis testes sunt nummi cum characteribus tam hujus, quam præteriti anni.
931.	178.	Rufo & Orphito.	XXXII.	II.	VIII. II.	Exeunte vero consulatus anno, vel ineunte seq. COMMODUS Augustus est creatus, uti patet e nummo apud MEDIOB. p. 242. & PAGIUM ad A. CLXXV. p. 170. L. AUR. COMMODUS AUG. GERM. SARM.
						JUNONI SISPITÆ TR. P. II. Imp. II. COS. P. P. S. C. Eodem CRISPINAM, Brutii Præsentis V. C. filiam, duxit uxorem, & populo congiarium dedit. Dein post nuptias III. Non. Commodias, s. Augusti in Germaniam profectus, Imperator
					IX. III.	III. & pater IX. salutati sunt. CAPITOL. in MARCO l. c. & LAMPRID. in COM. l. c. suffragantibus nummis.
						Mox etiam consul iterum designatus est COMMODUS, testibus nummis, in quibus legitur TR. P. II. Cos. II. & TR. P. III. Cos. des. II.
932.	179.	L. A. Commodo & Vero.	XXXIII.	III. III.	X. IV.	Hoc anno iterum victi sunt barbari, & MARCUS X. COMMODUS IV. Impp. appellati sunt. DIO l. c. adstipulantibus nummis, quorum tamen nonnulli ad V. TR. P.
933.	180.	Præsente II. & Quintilio.	XXXIV.	IV.	X. V.	A. COMMODI hanc victoriam referunt. XVI. Kal. Aprilis MARCUS est mortuus.

T A N T U M.